



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Vita Et Epistola Clementis Papae VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

de Talauera, & Gonsaluo Roderici thesaurario, & Io-  
anne Martini canonico ecclesiae Toletanae, testibus ad  
præmissa vocatis specialiter & rogatis.

ANNO  
CHRISTI  
1339.

Et ego Martinus Nuncai portionarius in ecclesia To-  
letana, publicus in ciuitate & dioecesi Toletana archie-  
piscopali auctoritate notarius, dictarum constitutionum  
publicationi & aliis omnibus & singulis supradictis vna-  
cum dictis testibus rogatus præfens fui, easque de manda-  
to prædicti Concilii publicauit, meoque sigillo signauit.



### VITA ET EPISTOLA CLEMENTIS PAPÆ VI.

ANNO  
CHRISTI  
1341.

**C**LEMENS VI. Lemouicensis, Petrus antea vocatus,  
ex monastica vita assumptus archiepiscopus Rotho-  
magensis, vir doctissimus & eloquentissimus. Post Bene-  
dictum vndecimum pontifex electus est Auenione anno  
Dominii 1342. ipsis Nonis Maii, decimo quarto Calendas  
Iunii coronatus, post sequentibus quatuor temporibus de-  
cem cardinales creauit: anno vero euoluto duos alios or-  
dinavit, inter quos duo erant eius nepotes, tertius frater  
germanus, quartus ei affinitate coniunctus. A Romanis  
rogatus, iubileum quod centum annorum spatio consti-  
tutum erat, ad quinquaginta reuocauit. Mandauit, ait  
Trithemius in chronicō Hirsaugensi anno 1346. principi-  
bus, ut infra certum terminum quem iis præfixerat, nisi  
ius electionis velint amittere, in locum Ludouici (iam  
ante ob raptum alienæ vxoris per sententiā depositi) alium  
eligant imperatorem, qui mandatis ecclesiae, ut filium de-  
cet, pareat: alioquin se necessario curam ut supremum ca-  
put de imperio habiturū. Conuenientes itaque in Reynis  
infra Bopardiam iuxta Rhenum, vndecimo die mensis  
Iulii, Baldeuinus archiepiscopus Treuirensis, Vvalramus  
archiepiscopus Colonensis, Gerlacus cui papa de Mo-  
guntina ecclesia prouiderat, Ioannes rex Bohemiæ, &  
dux Saxoniæ, Carolum Ioannis supradicti Bohemiæ regis  
primogenitum in regem Romanorum vnanimiter præ-  
sentem elegerunt, & Bonnæ per Colonensem inunxe-  
runt. Carolus rex memor accepti beneficij, Nicolaum

Rentii, qui Romæ tyrannidem exercebat, Auenionem vinclum ad pontificem misit. Quem dum Clemens compedibus constrinxisset, ad Vrbem duos cardinales definavit, qui perturbatum reipublicæ statum in meliorem formam reuocarent. Auenionem vrbem Galliæ a Ioanna regina filia Roberti regis Siciliæ emit, & Tarentinum eiusdem maritum, Neapolitanum regem declaratum, cum Hungariæ rege reconciliauit. Vicecomites cum Florentinis necessitudinis foedere reuinxit, vt ea ratione ruinam quam Ludouicus Bauarus Italiae minabatur, facilius propulsaret. Quin etiam pacem, licet frustra, inter Franciæ & Angliæ reges componere maxime studuit. Huius indultu Colonienses & Treuirenses propter Turcicam expeditionem contributione pecuniarum promotam, impetrarunt, quod per totam dicecim quibuslibet ieiuniis extra quadragesimam ouis & lacticiniis licite vescantur. Creatis aliquot cardinalibus, Iuoneque Britanno in sanctorum numerum relato, mortuus est Auenione VIII. Idus Decembris, anno 1352. cum pontificatum annis decem, mensibus sex & diebus 28. administrasset.

---

EPISTOLA  
CLEMENTIS PAPÆ VI.  
AD OMNES ARCHIEPISCOPOS  
eorumque suffraganeos, de Flagellantium  
hæreticorum condemnatione.

*Clemens episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus  
archiepiscopo Moguntinensi, eiusque suffraganeis, salutem  
& apostolicam benedictionem.*

INTER solicitudines innumeras & immensas, quibus ultra vires ex apostolicæ seruitutis debito perurgemur, illud cordi nostro potissime insidet, & ad hoc attentius studia nostra conuertimus & conatus, vt apud omnes Christi nominis professores orthodoxa fides fulgeat, & sic catholicæ & apostolicæ ecclesiæ norma sine quocumque fictionis, simulationis, seu velaminis pallio pure & laudabiliter obseruetur, quod a vinea Domini sabaoth, cuius cura nobis licet immerito est commissa, vepres & vrti-

cæ tam periculoſe quam damnabiliter succrescentes euellantur radicitus, & vulpecula quæ ipsam demoliri nituntur, per apostolicæ sedis prouidentiam abigantur. Sane moleſta nobis, licet fide digna, magnorum relatio & multorum assertio noſtrum & fratrum noſtrorum non mediocriter turbauit auditum, quod in partibus regni Alemaniae & eius conuicinīs, quædam ſub prætextu deuotionis agendæ pœnitentiæ, vana religio & ſuperftitioſa adiuuentio procurante fatore malorum insurrexit, per quam multitudo ſimplicium hominum qui ſe flagellatores appellant, decepta verbiſ fictiſ & mendacibus malignorum afferentium ſaluatorem noſtrum in Hieroſolymis patriarchæ Hieroſolymitanō apparuifſe, cum tamen a longis temporibus nullus ibidem præſentialiter fuerit patriarcha; & ſibi aliqua dixiſſe quæ colorem non habentia nec ſaporem, in quibusdam sanctæ scripturæ obuiare noſcuntur; in illam cordis veſaniam & in magnæ damnationis præcipitium eſt deducta, & de die in diem ſuggeſtione hostis antiquiſe, ut dominicum gregem deuoret, transferentis in angelum lucis, nimium ſuccreſcendo deduci cortina trahente cortinam periculoſius formidatur, quod per ſocietates & conuenticula, licet caudas inuicem habeant colligatas, diuidentes diuersas circumeunt patrias, ceterorum vitam & ſtatū contemnendo ſe iuſtificant, & claves ecclieſiaſtila crucem Domini ante ſe & habitum certum niagram, videlicet ante & retro ipſius viuificæ crucis imprefum habent ſignaculo, ſine ſuperioriſ licentia deferentes, ſub nomine pœnitentiæ vitam gerunt iſolitam, congreſationes, conuenticula, & coadunationes, quæ a iure ſunt prohibita, faciunt, & ad alios auctus proſiliunt a vita & moribus communibus & obſeruantia fidelium alienos, ordinationes & ſtatuta quibus vtuntur, imo verius abutuntur, propria temeritate fecerunt errores, ſuspicione & vacua & iudicio parentia rationis. Sed ex eo tamquam Deo & hominibus amplius odioso turbamur acerbius, & durius anxiāmur, quod quidam religioſi, præſertim de ordine mendicantium, qui alios ab inuio reuocare debuerunt, & ad viam reducere veritatis, ab utero matris ecclieſia velut maledictionis filii nequiter oberrantes,

linguas

linguas suas, vt alios pertrahant in errorem, accidunt, quibus corda debilia vulnerant infirmorum, & ignorantis Dei iustitiam, & suæ prudentiæ innitentes, dum legem Dei voluntate subiecti alios in persuasilibus humanæ sapientiæ verbis prædicando & dogmatizando contra ecclesiasticam libertatem, & fidei catholicæ puritatem, ab ipsa fidei veritate subducere moluntur, & vt efficacius efficiant, & conceptum virus latenter effundant, blandis prius sermonibus auditores, quasi bonum vinum ponendo, satagunt irretire, vt cum inebriasi fuerint, illud quod est deterius ingerentes, cum ipsis in perditionis laqueum incident, & in profundum malorum demergantur. Nos igitur perniciose & periculose principio, per quod ultra diuinæ maiestatis offensam, magnum reipublicæ paratur periculum, & apud fideles scandalum generatur, ne deteriores pariter processus & successus subsequantur, obuiare volentes, & considerantes quod cum plerisque ex ipsis seu adhærentibus eisdem sub colore pietatis ad iniuriantis opera laxantes crudeliter manus suas in Iudeos, quos pietas Christiana recipit & sustinet, iniicientes, eos aliqualiter non permittentes, & frequenter Christianorum sanguinem effundere, & opportunitate captata bona clericorum arripere & suis usibus applicare, ac superiorem iurisdictionem usurpare, & ad multa alia illicita prorumpere minime vereantur. Timendum est, quod tam præsumptuosa temeritas & temeraria præsumptio, nisi eis per salubre antidotum occurratur, parituræ sunt non leuem perniciem, & aliquorum morbus lethali

\* coniugio serpens apud plurimos sero recipiat medicinam: attendentes insuper quod error cui non resistitur, quodammodo approbari videtur, & quod ex officio nobis iniuncto compellimur, vt quos per iter deuium errando currere, & plures in præcipitum secum trahere perspicimus, ac in dispersione multarum gentium ambulare, reuocemus a deuio, & vt in viam veritatis & iustitiae gressus suos dirigant, prouidere per opportuna remedia studeamus. Fraternitati vestrae per apostolica scripta committimus, & distriepte præcipiendo mandamus, quatenus singuli vestrum in singulis ciuitatibus vestris & dioecesi bus per vos vel alium seu alios, adiumentiones quas vna

Concil. Tom. 29.

R

cum societatibus, conuenticulis & congregationibus ac statutis & ordinationibus a supradiictis , qui se , vt præmittitur, flagellatores appellant , temerarie attemptatos, de eorumdem fratrum nostrorum consilio perpetuae prohibitioni subiicimus , & tamquam illicita reprobamus, auctoritate nostra reprobos & illicitos publice nuntietis , ac omnes tam clericos , quam laicos sacerdtales & regulares de prædicta superstitione secta seu societate, quocumque appellantur nomine , existentes , vel eam sectantes, auctoritate prædicta monere & inducere studeatis, vt ab huiusmodi obseruantia, secta & vana religione desistere & resilire procurent , quodque nullus deinceps prædictam sectam , seu conuenticulum præsumat intrare, ac ritus & statuta societatum huiusmodi obseruare. Contrarium facientes per censuram ecclesiasticam compescendo , nec non & eos in quos temporalem iurisdictionem habetis, & poenas temporales, de quibus expedire videtis, appellatione postposita compellatis. Sane vt religiosi & alii errorum magistri, qui de dogmatizando simplices decipiunt, & cæci ducatum cæcis præbentes, ipsos in foueam secum trahunt , & si non diuino amore, saltem humana confusione a tam iniquo proposito reuocentur, omnes & singulos cuiuscumque sint ordinis, religionis, dignitatis , præminentiae siue status , quos in prædictis nobis constiterit deliquerisse, capi, non obstante quocumque priuilegio vel indulto , quid in hoc eis suffragari volumus, faciatis , & tam diu captos detineatis, donec aliud a nobis reperitis in mandatis. Inuocato ad hoc , si opus fuerit, auxilio brachii sacerularis. Per prædicta tamen nequaquam intendimus prohibere, quin Christi fideles impositam sibi canonice poenitentiam, vel eam non impositam, dummodo recta intentione & pura deuotione ad illam peragendam procedat, in suis hospitiis vel alibi absque superstitionibus, congregationibus, societatibus & conuenticulis supradictis possint facere, & se in bonis operibus exercendo, virtutum Domino, prout inspirauerit, in humilitatis spiritu deseruire. Ceterum quia patentes literæ nequeunt singulis veltrum propter viarum discrimina commode portari , volumus quod per te , frater archiepiscope, earum transcriptum publica manu scriptum & tuo commu-

CLEMENS TOLETANVM. CAROLVS IV. IMP.  
P. VI. ALPHONSVS XI. R. CASTELLÆ. 131

natum sigillo vobis suffraganeis transmittatis cui adhiberi  
volumus plenam fidem. Datum Auinione 13. Kalendas  
Nouembris pontificatus nostri anno octauo.

ANNO  
CHRISTI  
1347.

## CONCILIVM TOLETANVM

AVCTORITATE ÆGIDIÆ ARCHIEPISCOPI

Toletani celebratum anno Domini MCCCXLVII.  
tempore Clementis papæ VI.

### TIT VLI CAPITVLORVM.

- I. *De vita & honestate clericorum.* III. *De paenitentiis & remissionibus.*  
II. *De immunitate ecclesiistarum.* IV. *De simonia.*

### C A P I T V L A.

*Aegidius miseratione diuina archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas & regni Castellæ cancellarius,  
ad perpetuam rei memoriam.*

#### I.

**A**D reformandam in prælatis honestatem , ne aduersus eos qui vni Domino famulantur, ex aliqua dissimilitudine præbeatur occasio obloquendi : attentes quod recolendæ memoriæ dominus frater Guillermus episcopus Sabinensis , in his partibus tunc apostolicæ sedis legatus, in constitutione quæ incipit , *Quamvis honestas morum* , inter cetera prouide statuit , quod episcopi & superiores prælati , cum eos equitare contigerit , cappellos suæ dignitati deferant congruentes . Nos cipientes suffraganeos nostros similitudine decenti & debita , vt in ecclesia vnum ouile & etiam unus pastor valeat apparere , in qua flores honoris & honestatis fructus in vbertate succrescant , sacro approbante Concilio statuimus , cum nos episcopi suffraganei nostri cum cappellos detulerimus rotun-

*Concil. Tom. 29.*

Locus cor-  
ruptus.

R ij